



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 109. Foedus Anglorum cum Britonibus & bellum contra Gallos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A.C. 1489.

§. CIX.

*Fœdus Anglorum cum Britonibus, &
bellum contra Gallos.*

Eodem quoque temporis articulo Henricus ad repellendos Gallos cum Britonibus armorum societatem inibat, ea lege, ut Ducissa Britanniae Hæres, nec Regum, nec Principum ulli absque Angliæ Regis assensu nuberet, nec arma sua cum quocunque alio, exceptis Hispaniæ aut Romanorum Regibus, sociaret. Fœdere firmato Angli conscensibus navibus Guerandam perveniunt: Carolus vero horum appulsu comperto, quanto citius suis copiis iussa dedit, ut præcipuas Britanniae urbes, quas tum subegerant, ceteris relictis ingrederentur, ac munimentis firmarent: hoc pacto Anglos ab amplioris cujuscunque urbis expugnatione præpedire, eisque apertos campos cedere sategit, eo consilio, ut Governatores urbium undique validis agminibus excurrentes, Anglos continenti prælio lacefferent; nec eventus abluit. Accessit etiam Borboniæ Ducissæ solertia, quæ sub idem tempus præcipuos Provinciæ optimates artibus suis sibi devinciebat; reliquos vero tanta dexteritate disjungebat, ut quovis eorum supremum sibi imperium arrogante, Britonum au-

la

la crebris tumultibus jactaretur; qua-
 propter Angli comperta rerum confusio-
 re ignari, cujus esset jussa dare, aut a
 quonam munitiones aut belli tor-
 menta petere deberent, mare tra-
 jicere, ac Britanniam relinquere coacti
 sunt, cum tamen haud majoris molimi-
 nis rem confecissent, quam quod ultimum
 hujus regionis excidium compleverint.

Sæcul. XV.
 A.C. 1489.

§. CX.

*Connubium Britannicæ Ducissæ cum
 Romanorum Rege.*

Britonum dissidia haud parum creverant
 illorum, qui nuptias Britannicæ Du-
 cissæ ambiebant, æmulatione; quivis
 enim eorum in aula suos numerabat fau-
 tores. Inter illos, qui Ducissæ connu-
 bium efflagitabant, Britannicæ hæredi-
 tatis spe allecti, præcipui erant, Caro-
 lus VIII. Galliarum Rex, Maximilianus
 Rex Romanorum, Aurelianensis Dux,
 & Albretus; hos inter Romanorum Rex,
 cum esset viduus, atque ex primo con-
 nubio filium suscepisset, a nuptiarum spe
 remotior credebatur; verum cum esset
 nonnisi triginta annos natus, atque exi-
 mia corporis specie præditus, nec non
 forma plane regia inter omnes ævi sui
 Principes longe emineret; cumque Ar-
 chiduci ejus filio molior ac delicatior
 esset